

felicitate, felicitas vestra est.» «At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu.» Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. Ferte fortiter: hoc est, quo Deum anteceditis; ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem: nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem: aut solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem: quae vos aut finit, aut transfert. Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos.

L. ANNAEI SENECAE, DE VITA

BEATA AD GALLIONEM FRATREM, LIBER UNUS. *

ARGUMENTUM.

Cap. I. Vitam beatam quum omnes quidem appetant, sed nesciant tamen, quomodo rite ad ipsam perveniantur, natura ejusdem accuratius perpendenda est. Cap. II. Prudentum potius, quam plurimorum de hac re sententiam sequamur. Cap. III. Stoicorum de vita beata iudicium naturae humanae quam maxime respondet. Cap. IV. Quae cum summo bono cohaerent, eadem lege recte iudicantur. Cap. V. E sana ratione et virtute; non item e voluptate vitam petamus beatam. Cap. VI, et VII. Voluptas dum sanae rationi adversatur, cum vita beata conjungi nequit, praesertim quum ad abjectos quoque homines devolvatur, quibus virtutis nulla est perceptio. Cap. VIII. Beate, et secundum naturam vivere, idem omnino. Cap. IX, X et XI. Virtus propter se ipsam petenda, non propter voluptatem, virtuti contrariam, et contra sanae rationis praecepta effrenate

* L. A. Senecae Opp. philosophi: ed. Vogel. Lipsiae 1830 p. 285-301.